

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

molestum suis pietatis nomine, quam non pauci profitentur, nisi cathedra pestilentiae in lapsum convertatur. Apud Insubres subditos Helvetiorum 12. ordinibus, praestantes aliquot familiae Christum amplexae, plurimum negotii fecerunt quatuor civitatibus, Bern. Tigur. Basil. & Schaphus. eò quod ab aliis septem premantur (quiescunt autem medii Glarani) & proinde etiam civitatum, quas dixi, defensionem implorant; & praestarent illae quidem promptè, nisi suffragiorum numero in comitiis essent inferiores, & reliqui obstinatissimè suum institutum contra pios urgerent. Tentantur tamen omnia, ut conservari possint. Rogant illi omnes Ecclesias, ut precibus juventur. Plurimum in illis me consolatur resignatio in Domini voluntatem, quia nec civitatum auxilia aliter requirunt, quam si cum pace bona praestari possint. Sin verò vel motus bellici, vel fratrum dissolutio inde impendat, petunt causam Domino totam commendari, pro qua & exilia & quamlibet afflictionem sufferre parati sint. Et tanto quidem debent bonis omnibus esse commendatores. Bene vale vir clarissime, mihi plurimum observande; Cum D. Lud. Rabo, Theobaldo Nigrino, Lenglino, Huberto, & reliquis Symmistis, quibus salutem dices meis verbis officiosiss. Basil. 21. Novembr. Anno 1554.

*Salutant te reverenter mei Symmistae omnes.*

*Tuus ex animo*

Simon Sulcerus.

XXVI.

**S** Retulerat nuper Christmannus, literas ad me tuas cuidam tabellario traditas, Mompelgardum profecturo, verum eas ad me non delatas esse, & miror & doleo, & proinde tibi notum facio, quo animadvertas, fraude ne an incuriam intercederint? Cupio autem frequenter à te, mi Marpachi ornatisime, suavissimis tuis literis resciri & recreari. Ac ne inanes profus ad te dem, libet historiam de Insubribus nostris Locarnensibus ob Evangelium Christi afflictis paucis perscribere. Locus is est 12. ordinibus Helvetiorum subditus, in quo jam ab annis aliquot emersere aliquot viri, pietate & doctrinam praestantes, & Ludimoderator idem oppidi, qui doctrinam puriorem privatim profiteri, & spargere caeperunt. Idque tanto successu, ut plures subinde religioni purae accederent, & sacra Papistica palam averfarentur; Res ea ad Helvetios delata, non levem controversiam peperit inter ordines, aliis pœnam in illos decernentibus, aliis verò adprobantibus, sicut par erat, optimam causam, ut ad arma etiam quidam spectarent, à Pontifice nimirum stan-

tos,

tes, propterea quod numero suffragiorum superiores, in communes subditos ex fœderum conditionibus, pro suo arbitratu, quod decrevissent, exequi conarentur. Sed interposuere se quidam ex aliis Helvetiis arbitri, eamque moderationem constituerunt, (si modo eam adpellationem meretur) ut liceat Evangelicis, siquidem consuetæ religioni (quam falsò vocant) veteri nolint acquiescere, rebus suis salvis iis ex locis excedere, atque alibi in Helvetiis, ubi libeat, habitare. Quare 15. Januarii cum octo ordinum Helveticorum Legati Locarnum venissent, executuri sententiam, postremis comitiis Badensibus ab Arbitris latam, primi præfecturæ ejus officarii, testati sunt, se, ut hætenus, usitatæ religioni adhæsurus, eos secuti sunt, & alii aliquot ex vulgo, idemque testati. Cæterum à meridie diei ejusdem, veritatis confessores præsto fuere, ordine longo, binis viris, binisque mulieribus, invicem somitantibus, una cum pignoribus suis, quos partim manu ducebant, partim gestabant ulnis, (miserabile spectaculum) futurum sperantes, ut fidei suæ rationem, quod & unice postulabant, primi inter ipsos, nobilitate, doctrinâ & virtutibus clarissimi, rationem redderent. Verum cum responsum esset, id non agi nunc, sed ut aperte declararent, an novâ (quam per calumniam vocant) fide desertâ veterem vellent amplecti? &c. nihil illi immanitate sententiæ fracti aut territi, responderunt, se eam, quam tenerent, religionem, ut veram sanctam & Catholicam agnoscere, & in eâ proinde se gratiâ Servatoris Christi adjutos perseveraturos esse usque ad mortem; & quod imperatam emigrationem attineret, animis æquis usque ad bachanalia, exilio pro Christi nomine suscepto, patriam quamlibet gratam relicturos. Nomina sua scripta dederunt, quæ fuerunt 210. Accessit huic incendio fax à Pontifice Romano submissa, Octavianus Episcopus Taracinus, qui hos furores, quos zelum vocavit, pro fide, sede Catholicâ, etiam ad cœlos usque vexit & ut idem deinceps facere pergerent, strenuus hortator extitit. Adeo nihil sibi faciunt reliqui Satanæ Apostoli, ad subvertendam veram pietatem, numinisque sui tartarei Antichristici confirmationem, manu tamen Domini frangendi, & reportaturi mercedem, æternam confusionem. Cæterum habituri sunt hi exules Christi locum apud Rhetos, & propter vicinitatem, & linguæ ejusdem commercium opportunum, adde & religionis veræ in eadem regione quotidianum incrementum; quod tantò augustius futurum est indubitatò, quod hæc semina ad ipsos transplantata suos fructus dabunt, ex Domini benedictione. Missus & ad eos inquisitor erat Monachus, ut cum Episcopo Curienfe consilia architectaretur, in remoram Evangelii, sed frustra. Quando quidem Rheti publicis solennibusque Comitiis Episcopo imperarunt, ut è vestigio, quem dixi, inquisitorem ablegaret; quod cum faceret, & Monacho metuens, Capitaneum, primæ nobilitatis autoritatisque virum, singularare Papisti-

papisticae superstitionis fulcrum, ei deductorem adjunxisset, fatali quodam casu, is cum equo prostratus, cum vix urbe egressus esset, & in terra prostratus, attritusque, nemini opem ferre valente, ad Episcopum deportatus est, & à biduo vitam cum morte commutans ingentem Episcopo sacrificisque luctum dedit, quod velut altero brachio sibi jam esse destituti videantur. Ex Italia accipio, Pontificem Rom. mirum in modum æquum esse Principibus, favere Gallis, Germanis, Hispanis, ut, quantum possit, suo consulat. Nuper Bononiam jubileum transmisit propter Angliæ regnum, ad Romanam postliminiò reversum Ecclesiam. Pro eo ergo successu ut publicè gratiæ agantur, jubileo civitates donavit. Quam plurimi tamen contemnunt, vel hæc ipsa de causâ, quod nimiam in his concedendis liberalitate utatur. Florentinus exercitus in festis natalitiis, Senis per scalas muros adortus, non uno in loco muros superare contendit, sed non sine cæde repulsi, ad sua castra redierunt. Rederatus Dux est, & superioribus rursus diebus hostem muros tormentis dejicere conantem repulsi, ut extra periculum Senenses futuri videantur, si Gallus submittat auxilia, quod tamen grave futurum est, ob penuriam rerum multarum, si destituantur. In Corsica Galli dominantur, Genuensibus pulsus & interemptis. Gallicus exercitus in Subalpinas regiones ante mensem descendit, locaq; aliquot munitissima occupavit. Inter quæ numeratur --- metropolis ejus regionis, cum tota ea valle, in cujus capite versus Allobroges Augusta prætoria, ab antiquis vocatum oppidum situm est. Progressi inde Navarram, sive Vercellam versus aliquod arces occuparunt. Turcica classis in adverso mari regno Neapol. substitit, non Constantinopolin reducta est, ut omnibus superioribus seculis factum est. Quo fit, ut non parum sibi metuant illæ Italiæ partes, quas Cæsar occupat. Ajunt, majorem adhuc navium numerum ex Constantinopoli submissurum, ut geminâ classe partes omnes maris infestet. Inducias in annos quinq; cum Persâ pepigit, atq; obsidem Regis filium accepit. Potentiam suam omnem in nostra i. e. Christianorum viscera videtur conversurus. Jam & in Pannonibus res novas eum moliri scribunt, sub prætextu regnum instituendi, mortui Regis Vaivodæ filio, qui ex Polonia illuc confugisse fertur. Sed vale in Christo Jesu, cum tuis omnibus, vir ornatissime. Salutem ex me dicito, tuæ ux. Dafypodio, Sturmio, Theobaldo Nigri. Lengliino, & reliquis communibus amicis amanter & reverenter. Basil. 25. Febr. Anno 1555.

Præsentium latorem, pientissimum Juvenem, tibi unicè commendo.

Tuus Totus

S. Sulzerus.  
XXVII.